

INCIPIT EPISTOLA DECRETALIS VICTORIS PAPAE DE PASCHA ET BAPTISMO ET RELIQUIS CAUSIS THEOPHILO ALEXANDRINO EPISCOPO DIRECTA. 37r

5 Victor Romanae ac universalis ecclesiae archiepiscopus Theophilo episcopo et cunctis fratribus Alexandria domino famulantibus salutem in domino. 1

Multa mihi gratulatio, dilectissimi fratres, quod manifestato, sicut optamus, per gratiam dei lumine evangelicae claritatis et ab ecclesia iam magna ex parte perniciosi erroris nocte depulsa creditae nobis dispensationis fructus crescit et augmentatur in domino. 2

10 Celebritatem sancti paschae die dominica agi debere et praedecessores nostri iam statuerunt et vos illud eadem die celebrare sollemniter mandamus, quia non decet, ut membra a capite discrepent nec contraria gerant. A XIIIa vero luna primi mensis usque vicesimo primo eiusdem mensis die eadem celebretur festi- 3
15 itas. Eodem vero tempore baptisma celebrandus est catholicus, sed tamen, si necesse fuerit aut mortis periculum ingruerit, gentiles ad fidem venientes quocumque loco vel momento, ubicumque evenerit, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus tantum christiana confessione credulitas clarificata baptizentur. Ipse vero, qui infidelitatis nota asperguntur, infames efficiuntur atque inter fideles minime reputantur. Haec vero statuta nulla debent improbitate convelli, nulla 20 novitate mutari, quia alia ratio est saecularum, alia divinarum.

Audivimus namque apud vos vestrosque diversa iudicia fieri et incerta iudicare. Incerta, carissimi, nullatenus iudicemus, quoadusque veniat dominus, qui latentia producit in lucem et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, quia, quamvis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quae 25 manifestis indiciis comprobantur, nisi quae manifesto iudicio convincuntur, nisi quae iudiciario ordine publicantur. Similiter ea vos iudicare ad apostolicam delatum est sedem, quae praeter nostram vobis definire non licet auctoritatem, id est, episcoporum causas, unde ita constitutum liquet a tempore episcoporum et deinceps. 4

30 Placuit, ut accusatus vel iudicatus a comprovincialibus in aliqua causa episcopus licenter appellet et adeat apostolicae sedis pontificem, qui aut per se aut per vicarios suos eius retractari negotium procuret, et dum iterato iudicio pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur episcopus, quoniam, quamquam comprovincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari 35 liceat, non tamen definiri inconsulto Romano pontifice permissum est, cum beato Petro apostolo non ab alio quam ab ipso dictum sit domino: Quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelis, et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in caelis. 5

40 Et alibi in institutis legitur apostolicis: Si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud patriarcham vel primatem dioceseos aut penes universalis apostolicae ecclesiae iudicetur sedem. Nihil aliud est, fratres, talis praesumptio nisi apostolorum suorumque successorum terminos transgredi eorumque decreta violari. Culpantur enim, ut scriptum est, fratres, qui aliter circa episcopos iudicare praesumunt, quam apostolicae sedis papam fieri placuerit. Et quis est, qui iudicat eum, quem dominus sibi et huic sanctae sedi reservari voluit iudicandum? 45 6

14 baptisma] *corrected from* baptisimi, *in margin*: vel (baptis)mus 28 episcoporum causas] *in margin*: de accusatis episcopis 39 in] *added* 40 primatem] *corrected from* privatem

- 7 Ait namque dominus per Isaiam prophetam: Dominus deus auxiliator meus, ideo non sum confusus, ideo posui faciem meam ut petram durissimam et scio, quia non confundar, iuxta est, qui iustificat me. Quis contradicit mihi? Stemus simul. Quis est adversarius meus? Accedat ad me, ecce dominus deus auxiliator meus, quis est, qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens dominum audiens vocem servi sui? Quis ambulavit in tenebris, et non est lumen ei? Speret in nomine domini, et innitatur super deum suum. Ecce omnes vos accendentes ignem, accincti flammis ambulante in lumine ignis vestri et flammis, quas succendistis. De manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis. Audite me, qui sequimini, quod iustum est, et quaeritis dominum, attendite ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua praecisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quae peperit vos, quia unum vocavi eum et benedixi ei et multiplicavi eum. Consolabitur ergo Sion dominus et consolabitur omnes ruinas eius et ponet desertum eius quasi delicias, et solitudinem eius quasi hortum domini. Gaudium et laetitia inveniatur in ea, gratiarum actio et vox laudis. Attendite, populus meus et tribus mea, me audite, quia lex a me exiit, et iudicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est iustus meus, egressus est salvator meus, et brachia mea populos iudicabit. Me insulae exspectabunt et brachium meum sustinebit. Levate in caelum oculos vestros et videte sub terra deorsum, quia caeli sicut fumus liqueficient et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores eius sicut haec interibunt. Salus autem mea in sempiternum erit, et iustitia mea non deficiet. Audite me, qui scitis iustum, populus, lex mea in corde eorum. Noli timere opprobrium hominum et blasphemias eorum. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, et sicut lanam, sic devorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit et iustitia mea in generatione generationum. 50
55
60
65
70
- 8 Multis mundi huius illecebris, multis vanitatibus resistendum est, ut verae caritatis et continentiae obtineatur integritas. Dominus enim nullum vult perire, sed omnes salvos fieri. Certus autem sum vos ad haec emendanda vel defendenda domino auxiliante proficere. 75
- 9 Data XIII Kl. Augusti Commodo et Gravano vv. cc. cons.